



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De eadem re. xxvii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

Deo annuente Vvormaciensis Ecclesiæ episcopus, quendam Ecclesiæ nostræ famulum, nomine Eberhardum, sacris ordinibus oblatum, ad altaris cornu, nobilium virorum in præsentia, per hoc autoritatis testamentum statuo, ita ut ab hodierno die & tempore bene ingenuus, atque ab omni seruitutis vinculo securus permaneat, tanquam si ab ingenuis fuisset parētibus procreatus vel natus: eandemq; pergat partem, quamcunque volens canonicè elegerit, ita ut deinceps nec nobis neque successoribus nostris, vllum debeat noxiæ conditionis seruitium, sed omnibus diebus vitæ suæ sub certa plenissimâque ingenuitate, sicut alij qui eiusdè sunt ingenuitatis, per hunc manumissionis atque ingenuitatis titulum, bene semper ingenuus atque securus existat. Suū verò peculiare quod habet, aut quod abhinc assequi poterit, faciat inde secundum canonicam autoritatem liberè quicquid voluerit. Et ut hæc ingenuitatis pagina inuiolabilem obtineat firmitatem, manu propria illam roborauimus.

De eodem. Cap. XXVII.

DEbent autem superscriptæ ingenuitatis chartæ, non solum nomen illius qui has fieri rogat, sed etiam nomina sacerdotum & nobilium laicorum, qui ibi fuerint, in ordine digesta, cum signis proprio manu impressis continere. Nam sine horum astipulatione pagina autoritate testium nudata, pro nihilo deputatur. Oportet etiam ut locum, diem, annum, & principem, & indictiones in fine vel in margine adnotatas habeat in hūc modum: Actū in illa ciuitate, in domo sancti Petri, Calendis illis, Anno dominicæ incarnationis, illo regnante, illo rege, & præsidēte in cathedra supradictæ ciuitatis episcopo illo, vel in monasterio illo, indictione illa, in Dei nomine feliciter, Amen. Ait enim Romana autoritas: Quæcunque leges sine die & consule fuerint prolatae, non valeant.

De eodem. Cap. XXVIII.

Instruendi sunt præterea laici, ut sciant quòd nullatenus alio loco manumittere proprios possunt seruos, quos dominicis castris aggregari decreuerunt, nisi in sacrosancta Ecclesia ordine supra notato. Quomodo enim

*Ex cōcil.
Toletano.*

*Ex eodē
concilio.*